



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini Origines ac  
Progressus, Per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam,  
Belgium, aliasque orbis Christiani prouincias**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Iacobi Vitriaci Cardinalis testimonium de Canonicis Regularibus  
congregationis Aroasiensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11321**



Dirutum est autem anno 1578. per tumultus bellicos.

Atque in hoc quidem Catalogo, non nisi sex & viginti monasteria, præter Aroasiense, recensentur; cum alij tamen velint octo & viginti monasteria Aroasiensem Abbatem agnouisse.

**IACOBI VITRIACI CARDINALIS**  
*testimonium de Canonicis Regularibus*  
*congregationis Aroasiensis.*

SVNT alij regulares Canonici, qui *de Aroasi* nuncupantur; eo quòd prima huius institutionis Abbatia, quæ caput est omnium aliarum, sic vocetur, in diœcesi Atrebatensi sita. Hi siquidem fundamentum regulæ B. Augustini retinentes, vt carnem suam cum vitijs & concupiscentijs arctiùs crucifigerent, carnes à refectorio suo subtraxerunt. Camisijs insuper non vtuntur, sed cum tunicis lanceis nocte in dormitorio suo quiescunt. Quasdam etiam alias institutiones necessarias & honestas suprâ prædictum fundamentum prudenter ædificantes, contra imminetia pericula sibi præcauētes, addiderunt. Et quoniam nihil magis virtutem religionis conseruat, vbi plures sunt Congregationes & Conuentus, quàm respectus ad vnum superiorem, qui diuersa sub se membra regit & continet, quasi summum & supremum caput; semel  
in anno



in anno sub primo & principali Abbate generale Concilium celebraturi conueniunt, vt omnes vnanimiter huius ordinis Abbates, secundum quod religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, refecent superflua, instituant & addant quæ fuerint superaddenda, vel secundum temporum aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda commutent, & nouis superuenientibus ita vetera reijciantur, quod vetustissima veterum, prima scilicet antiquorum Patrum instituta, firmiter & inuariabiliter obseruentur. Principalis siquidem Abbas filias suas, inferiores scilicet Abbantias per se, vel per viros idoneos studiose visitando, quantum religioni subministret fulcimentum, ne per negligentiam defluat, vel per dissolutionem status religionis eneruatus corruat, ex his liquet conuentibus & congregationibus, quæ ex vno tantum Abbate pendentes, & vni soli superiori intendentes, cum corruente plerumque corruunt, cum non habeant vnde alias fulciantur. Væ siquidem soli, quia si ceciderit, non habet subleuantem. Funiculus autem multiplex non facile rumpitur: frater enim fratrem adiuuans, est quasi ciuitas munita. Si autem corrupto capite ad Prælatos sæculares membra recurrerint, Scyllam fugientes, frequenter Charybdim incurrerunt, & fugientes arma ferrea, in arcum æreum incide-



ciderunt. Quidam enim Ecclesiarum Prælati regularium dissensionibus tantò magis exultant, quantò velut in aqua turbata copiosiorē reperientes piscationem, ab altera vel vtraq; parte hac occasione pecuniam emungere non formidant. Quod si fortè iustos & timoratos inuenerint Prælatos, qui ab omnimunere manus excutientes, eorum partes intercedente pecunia, fouere renuerint, tandem facta ad Dominum Papam appellatione, discurrendi & euagandi materiam libenter inueniunt, & inutilibus expensis ex vtraque parte miserabilem domum eorum obligantes, redditus copiosos & amplas plerumq; consumunt possessiones. *Ita Vitriacus in sua Historia Occidentali.*

Cæterùm floret hodieque Abbatia Aroasiensis, vt & alię Abbatia eiusdem olim Congregationis, sed proh dolor! desijt illa societas, siue vnio, nec annum amplius capitulum à Congregatione Aroasiensi, vtpotè extincta celebratur.

## CAPVT XI.

ORDO SEV CONGREGATIO Canoniorum regularium S. Rufi,  
*in Gallia.*

CONGREGATIO Canoniorum regularium S. Rufi, (quem alij Arnulfum nun-